



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 Vtrum actio vt sic dicat respectum ad subiectum in hæsionis: &
quodnam illud sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

rialium viarum, potius confirmant, quæ diximus. Nam modus procedendi in scientia, vel operandi per habitum non distinguitur habitus, nisi in quantum in ipso obiecto variat aut medium assentiendi, aut motuum operandi: quæ variatio est in ipso obiecto, & quasi in termino formali ipsius habitus. Materiales etiam viæ tendentes ad eundem terminum remotum, ideo distinctæ sunt, quia si sumantur ut res absolutæ, sunt spacia suis quantitativis distincta, si autem sumantur quasi respectu in ordine ad terminum, in terminis proximis & intrinsicis illarum est distinctio sicut supra dicebamus de motu ad eundem terminum per lineam rectam & circularem.

SECTIO IV.

Virum actio ut actio, dicat essentialiter respectum ad subiectum inhesionis, & quodnam illud sit.

I. **I**n hac sectione amplius declaranda est dicta divisio actionis in immanentem & transeuntem, & alia præterea subdivisio actionis transeuntis indicabitur, simulque expedienda erit illa vulgaris dubitatio, an actio transeuntis sit in agente, nec ne.

De subiecto actionis transeuntis prima sententia.

II. **P**rimum igitur inquirendum est, an actio ut actio necessario respiciat ipsum agentem ut subiectum cui inhaeret. Omnes enim auctores, qui affirmant actionem transeuntem esse in agente, in hoc nituntur principio, quod actio ut actio, in aliquo debet inhaerere subiecto, quod non potest esse nisi agens quatenus actu agens. Tenent autem hanc opinionem ex discipulis D. Thom. Caietanus 1. part. q. 25. & Hispanus 1. dist. 27. q. 1. notab. 3. Elandr. 5. Metaph. q. 22. art. 2. Tenet etiam Scotus in 4. dist. 13. q. 1. & Ant. Andreas in lib. de sex principiis, c. de actione & communiter Scotistæ & Paul. Venet. in summ. Physic. cap. 18. Avicen. 2. sufficient. cap. 5. Differunt autem multum quoad rem ipsam: nam Scotistæ per actionem solum intelligunt relationem agentis ad effectum vel passum; putant enim ante hanc relationem, quæ resultat in agente, iam productum effectum, nihil mediare inter agens & effectum, distinctum ex natura rei a forma, quæ est principium agendi, & ab ea quæ est terminus actionis, quod sit propria actio prædicamentalis. Sed nos non in hoc sensu de actione loquimur, nec putamus respectum illum posse proprie actionem vocari. Supponimusque contrarium fundamentum nimirum, esse inter effectum & efficiens actionem mediam distinctam ex natura rei ab eis, quæ est prior natura illo respectu, & fundamentum, vel conditio, vel ratio fundandi illum.

III. Caietanus ergo, & qui eum sequuntur, in hoc posteriori sensu intelligunt, actionem dicere intrinsecum respectum ad aliquid subiectum cui inhaereat, & hoc esse debere ipsummet agens. Quod si in his, quia actio Dei non potest hoc inhaerere. Respondent, etiam actionem Dei esse in Deo, non tamen per propriam inhaerentiam, sed per identitatem, & simplicitatem suam, quia illa actio non est de genere actionis, neque accidens, sed ipsamet substantia Dei. Hic autem loquimur de actione prædicamentali, quæ est accidens. Hoc autem videtur esse præcipuum fundamentum huius sententiæ, nam cum actio sit accidens, necessario debet esse in aliquo subiecto cui inhaereat, cum autem sit forma & actus agentis ex 3. Physicor. cap. 2. non potest habere aliud magis proprium inhesionis subiectum. Præterea, quia illud est subiectum formæ, quod per eam actuatur, & re-

Tom. II. Metaphys.

ducitur de potentia in actum. Quam rationem his verbis attrigisse videtur D. Thom. 2. contra Gent. c. 9. Actio quæ non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subiecto, & ideo inter novem prædicamenta computatur, & quæst. septima de potent. art. 9. ad 7. ait: Actio ut actio consideratur ut ab agente in quantum vero est accidens, consideratur ut in subiecto agente.

Secundo argumentor, quia si actio non est in agente ut in subiecto, in nullo subiecto erit: at vero hoc repugnat, quia est contra rationem accidentis: ergo. Probatur maior, tum quia si in aliquo subiecto esset actio extra agens, denominaret illud, nam omnis forma denominat subiectum in quo est, sed non potest denominare: quam enim denominationem tribueret non agentis, quia hanc soli agenti tribuit: non aliam quia actio ut actio non potest aliter denominare, nec ulla facile potest talis denominatio. Tum etiam, quia si in alio subiecto esset maxime in passio, sed hoc non, quia in passio est passio: actio autem & passio cum dicant respectus oppositos, & formas prædicamentales diversas, non possunt esse in eodem subiecto. Unde D. Thom. 10. 2. dist. 40. q. 2. art. 4. inde probat, actionem & passionem esse diversas accidentia, quia actio est in agente, & passio in passio.

Tertio, quia actio creata est perfectio agentis: ergo est in illo, quia forma non perficit, nisi subiectum in quo est. Antecedens probari potest, primum ex illo Philosophi 2. de Cælo, c. 3. Unumquodque est propter suam operationem: est autem unaquæque res propter suam perfectionem ergo: omnis operatio est operantis perfectio. Deinde ex D. Tho. q. 7. de potent. art. 10. ad 1. ubi ait, quod actio, quæ est media inter agens & passum, est proprie perfectio agentis, & ideo dicit ibidem, quod agens in quantum est agens, non est extraneum a genere patientis. Et idem sentit in solutione ad 7. & 3. contra Gent. cap. 19. & sumitur ex Comment. 12. Metaph. com. 35.

Secunda sententia.

Secunda sententia affirmat etiam de ratione actionis creatæ, ut sic esse ut habeat aliquod subiectum inhesionis, propter illam communem rationem accidentis, tamen subiectum hoc non semper esse agens, sed dist. actionem utendum esse: nam actiones immanentes sunt in ipso agente, transeuntes vero in passio. Et quia in prioribus partibus convenit hæc sententia cum præcedente, solum quoad postremam probanda est. Est ergo illa sententia, ut videtur, expresse Arist. 3. Physic. c. 3. ubi eundem modum ait esse actionem & passionem, esseque actum agentis & patientis, illius ut a quo, huius ut in quo. Clare ergo sentit actionem esse in passio. Idem constat ex 9. Metaph. c. 9. ubi ait actionem esse in re facta, ut adificationem in re adificata: idem sumitur ex 2. de anima, c. 2. text. 24. & 26. ubi sic ait: Actus agentium in eo quod patitur atque disponitur inesse videtur. Et li. 3. cap. 2. text. 139. expresse ait actionem & passionem in eo esse, quod patitur, & inde infert, necessarium non esse ut quod movetur, moveatur. & text. 140. Actio (inquirit) & passio non in agente est, sed in eo quod patitur. De sententia ergo Aristotelis in hac parte dubitari non potest ut observarunt omnes Græci interpretes, & Commentatores, & Latini etiam expositores citatis locis. Quare dubium non est quin hæc etiam fuerit D. Thom. sententia: nunquam enim solet Aristotelem deserere in iis quæ pure philosophica sunt, & fidei non contradicunt. Idem etiam constare potest ex Commentariis eius in prædicta loca, & expresse in lib. 2. cont. Gent. c. 1. dictam differentiam constituit inter actiones immanentes & transeuntes: ut Ferrarientis ibi, & inferius c. 9. advertit, & alia loca congerit. Et Capre. in 2. distinct. 1. q. 2. art. 3. & in 4. d. 49. q. 1. art. 3. Heruæus quodlib. 4. q. 4. Soncinas 5. Metaph. q. 37. lauel. lib. 9. q. 15. Et est receptissima sententia inter recentiores, cum 3. Physicor. 5. & 9. Metaph.

Bbb

Solet

VII.

Solet autem hac sententia multis rationibus confirmari, sed apud me duæ sunt præcipue. Prima est, quod actio non potest esse realiter distincta à termino formali, qui per eam fit, sed modus eius: ergo ubi fuerit terminus actionis, ibi necesse est esse actionem ipsam, quia modus necessario comitatur rem cuius modus est, sed terminus actionis transeuntis est in passio ex omnium sententia, & est per se euidēs, nam calor qui fit ab igne calefaciente lignum in ligno est: ergo in eodem est actio ipsa. Primum antecedens (reliqua enim omnia manifesta sunt) sepe inculcatum est, & probatum supra, cum de causa efficiente ageremus, & præcipue tractando de creatione actiua. Item in hac disputatione sect. 1. ostendimus, actionē nihil aliud esse, quā dependentiā effectus à causa efficiente: at vero dependentia non potest esse res distincta à re, quæ pendet, sed solum modus eius: ergo. Preterea, quia posito principio agendi & effectu eius, & dependentia effectus à suo principio sublata per intellectum quacumque alia entitate, sufficienter intelligitur & effectus in actu, & causa efficiens in actu: ergo impertinens est fingere quandam aliam rem distinctā realiter ab effectu, & priorem natura illo, quæ fit actio illius. Nam actio solum ponitur ob causalitatem agentis & dependentiam effectus, sed hæc intelliguntur optime sine illa entitate: est ergo gratis cōficta, quod magis confirmabitur ex sequenti ratione.

VIII.

Secunda ergo ratio est, quia non solum effectus sed etiam actio ipsa fluit actiue ab agente, non per aliam actionem, sed per se ipsam, ut in superioribus declaratum est, sed in agente actione transeunte, ex eo quod agit, nulla res vel modus realis fluit actiue ab ipso, ut in ipso maneat, ergo actio huius agentis ita fluit ab ipso, ut in passio recipiatur. Minor probatur, primo ratione illa Aristotelis, quod agens ex eo præcise quod agit, non mouetur, dico ex eo præcise quod agit, quia antecedenter potest moueri ut si applicetur de nouo ad agendum, vel concomitanter seu consequenter, si in agendo repatiatur: tamen præcise ac per se ex eo quod agens est, non mouetur, quia agentis ut agens est, per accidens est mutari. Secundo, quia nullus terminus actionis transeuntis manet in agente, ut omnes fatentur, nam hæc est potissima differentia actionis immanentis & transeuntis: ergo neque aliqua actio potest fluere ab huiusmodi agente, quæ in ipso maneat. Paret consequentia tum ex priori ratione, tum ex dictis sect. 2. quia non potest intelligi res aliqua, quæ ita sit pura actio, ut per eam nihil intrinsece factum intelligatur: res enim facta in extrinseco subiecto non potest esse intrinsecus terminus actionis manentis in alio subiecto. Tertio, quia per se est incredibile, quod ut sol illuminet aerem, prius necessario fluat à luce solis alia res vel modus, qui in ipso sole maneat, ipsumque aliter efficiat: quorsum enim fingitur talis entitas? aut quod est indicium illius? aut in qua potentia ipsius solis talis actus recipitur? Sicut enim actio solis, quæ est illuminatio fluit à luce solis ita si ab ipso fluere in ipsum deberet proxime recipi in ipsamet luce, nam sicut sol illuminat quatenus lucidus est, & ideo illuminatio procedit formaliter à luce, ita sol constituitur actu illuminans quatenus lucidus est: ergo si illuminatio constituit actu illuminans manendo in illuminante proxime immediate manebit in luce eius, illam constituendo in actu secundo, sicut visio manet in visu: ergo lux, calor, & similes virtutes actiue, non solum sunt potentie actiue, sed etiam passiuæ, quod inauditum est, & incredibile.

IX.

Denique de dependentia creaturarum à Deo probatum supra est, fluere immediate ab ipsa potentia Dei, & non ab aliqua alia actione, quam in Deo fingere necesse sit, & ab illa ut manente à Deo sufficienter denominari Deum actu agentem: ergo similiter dependentia luminis à luce solis intelligi optime potest, ut

immediate fluens à virtute illuminata solis, quæ est lux, absque fluxu alterius rei ab eadem luce, quæ in illa maneat, quasi mediet inter lucem, & dependentiam luminis à luce. Si enim intelligamus Deum impedire illum fluxum manentem in luce, nihil remanebit manere lumen pendens à luce: potuit ergo Deus hoc facere: signum ergo est illum alium fluxum impertinentem esse. Unde, quando nulla alia ratio superesset, illa multiplicatio rerum inintelligibilis, & non necessaria, vitanda esset.

Secunda sententia priori præfertur & declaratur.

Hæcigitur posterior sententia quatenus negat actionem transeuntem ponere in agente aliquid præuium ad effectum, verisimilis est: nihilominus tamen quoad modum tribuendi subiectum actioni, ut actio est, & quoad differentiam, quæ in hoc est inter actionem immanentem & transeuntem, aliqua declaratione indiget.

Dico ergo primo: Alia est actio realis, quæ nullum habet subiectum inhæzionis. Probatur ex dictis supra de actione creandi: ostendimus enim creationem esse vere actionem transeuntem, & nullum habere subiectum: quia de ratione creationis est, ut non fiat ex præsupposito subiecto. Idemque sentent Theologi de actione transubstantiandi, ut sumitur ex D. Tho. 3. par. q. 75. art. 8. Nam iuxta sententiam eius, cum actio transubstantiandi sit actiue à verbis consecrationis, necessario dicendum est illā esse actionē transeuntem, & non immanentem. Conuenit autem illa actio cum creatione in hoc quod non supponit subiectum in quo recipi possit, quia nullum est commune subiectum termino à quo, & ad quem. Datur ergo aliqua actio, quæ non habet subiectum inhæzionis. Quamquam hoc solum inueniatur in aliqua actione supernaturali, aut propria Dei, quia creata agentia virtute naturali solum possunt operari ex præsupposito subiecto.

Quo etiam fit, ut talis modus actionis infra latitudinem transeuntium actionum, non vero immanentium reperiri possit, quia actiones immanentes sunt proprie Dei, non sunt actiones accidentales, imo neque actiones, proprie & in rigore sumptæ. Nam si metaphysice tantum consideremus actus immanentes Dei qui sunt intelligere & amare, non solum non sunt accidentales, sed ipsamet substantia Dei, verum etiam nulla in eis intelligitur origo realis, ut possint actiones vocari. Si vero Theologie illi actus considerentur, quatenus per eos realiter procedit ad intra duæ personæ diuinæ, adhuc non possunt actiones proprie nominari, vel quia actio ut actio includit, quod ipsamet realiter emanet à principio agente: ibi autem actiones non emanant, licet emanent personæ: vel certe, quia actio ut actio includit dependentiam, nam actio dicitur habitudinem ad rem actam seu factam: at vero in his processibus personarum nulla est dependentia, ut supra disp. 12. de causis dictum est. Itaque inter immanentes nulla est actio propria quæ non sit actio agentis creati, & ideo nulla est, quæ non sit ex subiecto & in subiecto, quia agens creatum nihil potest efficere, nisi ex præsupposito subiecto, & per actionem receptam in illud.

Dico secundo: Non est de ratione actionis ut sic, quod habeat subiectum proprium inhæzionis, sed hoc conuenit ei ratione sui formalis termini. Probatur prior pars ex precedenti conclusione, nam quod est de essentiali ratione superioris ut sic, necessario conuenit omnibus inferioribus: ergo de conuerso quod non conuenit alicui inferiori, non potest esse de formali & essentiali ratione superioris: sed datur aliqua actio, quæ non habet subiectum inhæzionis, ut in prima assertionem dictum est: ergo non potest esse de formali ratione actionis ut sic habere subiectum, vel respectum ad illud. Hinc ergo colligimus, de ratione actio-

actionis ut sic solum esse, ut sit modus quidam adhe-
rens termino, & per se immediate fluens ab efficien-
te: ille enim respectus ad terminum non est, sicut ad
subiectum, ut supra diximus, neque illa intima con-
iunctio est propria inhaesio aut informatio, sed pecu-
liaris modus constituendi ipsum terminum in rerum
natura, dependens & fluentem à suo principio.
Ex quo videntur colligimus posteriorem conclusio-
nis partem, nam actio est accommodata termino, &
ab illo sumit rationem suam, ergo cum actio ut actio
per se non postulet subiectum determinata actio so-
lum ex peculiari ratione, quam ex suo termino ha-
bet, potest illud postulare, ergo iuxta exigentiam ter-
mini postulat actio subiectum, & non aliter. Quin-
imo quamvis illa res, vel modus, quia est actio per se
requirit interdum subiectum ratione termini, tamē
sub præciso conceptu actionis non explicatur ordo
ad subiectum, sed ad principium & terminum, ut
amplius declarabitur in solutionibus argumentorum,
& magis disput. sequenti, declarando distinctionem
inter actionem & passionem.

XIII.
Actio est ter-
minus sive
subiectum
passionis.

Dico tertio: Omnis actio, quæ est in subiecto, in
illo est, in quo est terminus eius: & hoc est, quod for-
maliter convenit omni actioni siue immanenti, siue
transcendenti, quæ ex subiecto fit. Probatur inductione,
nam actio immanens in ea potentia inhaeret, in qua
est terminus intrinsecus eius, ut in intellectu manet
actio intelligendi, quia in eodem manet verbum men-
tis, & sic de aliis: agimus enim de terminis productis
per has actiones, non de obiectis, quæ etiam dici so-
lent termini actuum immanentium, quia terminant
respectus eorum. Nec reperitur unquam, quod ter-
minus actionis immanens sit extra potentiam, in
qua manet ipsa actio: nam, licet interdum actus im-
manens habeat effectum extra suam potentiam, ta-
men ad illum non comparatur ut actio, sed ut prin-
cipium agendi, ut comparatur voluntas Dei ad effe-
ctus ad extra, & voluntas hominis suo modo efficit
motum brachii. Idem reperitur in actionibus trans-
cendentibus, ut per se constat. Vnde si aliquando termi-
nus actionis transcendentis manet aliquo modo in ipso
agente, tunc eodem modo ipsa actio manet, ut
quando aqua se reducit ad pristinum frigus quia fri-
gus manet in ipsa, etiam actio frigefaciendi in ipsa ma-
net. Ratio autem sumitur facile ex præced. conclu-
sione, iam actio non postulat subiectum, nisi ratione
sui termini: ergo nec postulare aliud subiectum potest,
quam petat terminus eius. Item creatio materiæ, vel
angeli ideo non habet subiectum, quia materiæ, vel
angeli, qui est terminus illius actionis non habet
subiectum: ergo in universum subiectum actionis est
iuxta exigentiam termini. Denique ostensum est actio-
nem identificari termino, ut modum eius: ergo in
quo subiecto fuerit terminus, erit etiam actio.

XIV.
Actio est a-
lii sive a-
lii inhaeret.

Dico quarto: Nulla actio ut actio, & præcise con-
cepta sub ea ratione, qua à passione distinguitur ha-
bet subiectum inhaesionis, sed denominationis tan-
tum: unde, quæ est in subiecto, solum inhaeret me-
diante passione. Probatur, quia actio ut actio solum
differt à passione ratione formali conceptæ, ut dispu-
tatione sequenti latius dicemus, sed in hoc tantum
differunt actio & passio, quia passio dicit motum vel
mutationem ut afficiendum passum, & inhaerentem
illi: ergo actio ut actio præcise ab hac habitudine:
non ergo includit formaliter esse in, sed esse ab agen-
te: & ideo valde analogice est accidens, ut supra in
divisione accidentium adnotauimus. Et confirma-
tur, nam huiusmodi actio dicitur inferre passionem,
quasi actiue: ergo ipsa secundum præcisam rationem
formalem suam non afficit passum, sed, infert pas-
sionem, quæ illud afficiat, atque ita media passio-
ne illi inest. Quocirca in hoc non est formalis diffe-
rentia inter actionem immanentem & transcendentem:
nam si formaliter loquamur, neutra inest agenti ut
agens est, sed utraque inest passio, ut passum est, &
Tom. II. Metaphys.

mediante passione. Differentia vero est, quod in ac-
tione immanente agens & patiens in idem coinci-
dunt, & ideo dum actio est in patiente, est etiam in a-
gente in actione vero transeunte distinguitur agens
à patiente: & ideo, quia actio est in patiente, in agente
manere non potest.

*Aliarum opinionum argumenta sol-
vuntur.*

Ad argumenta primæ sententiæ respondetur. Ad
primum, actionem ut sic dici analogice acci-
dens: & ideo non oportere ut dicat propriam habi-
tudinem inhaerendi alicui, sed emanandi ab ali-
quo. Cum vero dicitur esse actus agentis, similiter
intelligendum est, non de actu inhaerente, sed e-
manante, & quantum est ex se extrinsece denomi-
nante.

XV.

Ad secundum iam ostensum est, non esse incon-
ueniens, aliquam actionem transeuntem in aliquo
subiecto non esse, sed tantum in termino. Deinde de
omni actione ut actio est diximus, non habere per se
ac formaliter proprium subiectum inhaesionis. Et hinc
fit, ut licet media passione alicui subiecto inhaereat,
non tamen illud denominet, quatenus actio est, sed
quatenus passio. Vnde etiam actio immanens, qua-
tenus denominat hominem agentem vel operantem
formaliter non concipitur ut inhaerens illi, sed ut est
ab illo. Neque oportet, ut omnes res, quæ est in ali-
quo inhaerenter, denomine illud secundum om-
nem rationem, quæ in illa considerari potest, ut pa-
tet in loco, & in aliis formis extrinsecis. Ad alte-
ram vero in illius argumenti partem concedo, om-
nem actionem, quæ in subiecto inest, esse in passio:
neque obstat, quod in eodem sit passio, quia actio
& passio non dicunt formas oppositas, sed diuersas
habitudines ad res quodammodo relative opposi-
tas, ut sunt agens & patiens, vel certe ad potentias
diuersarum rationum, ut sunt actiua & passiua. Ta-
men respectu eiusdem formæ vel entitatis, non sunt
oppositæ, sed se consequuntur, ut dare & accipere,
seu emanare ab vno, & recipi in alio, vel emanare ab
vno secundum vnam rationem & recipi secundum
aliam.

XVI.

Ad tertium negatur, actionem esse proprie perfe-
ctionem agentis, quatenus perfectio est à forma in-
trinsece perficiente. Solum autem dici actio agentis
creati perfectio extrinseca eius, quatenus eius perfe-
ctio quodammodo ad alia extenditur, quod in re-
bus habentibus limitatam perfectionem censetur
pertinere ad quandam perfectionem extrinsecam
earum: sed reuera agens, ut agens, magis declarat
perfectionem suam, quam perficiatur, nisi ex actio-
ne sua aliquod commodum reportet, vel recipien-
do in se terminum actionis, ut in iis quæ agunt actio-
ne immanente, vel mediante sua actione se conser-
uando aut ruendo à contrariis. Ad testimonia Diui
Thome, quæ in illis rationibus afferuntur, fateor
nonnulla esse difficilia. Thomistæ vero communi-
ter intelligunt, quotiescunque D. Thomas indicat ac-
tionem transeuntem esse in agente, loqui vel de ac-
tione ratione relationis resultantis, vel de actione
transeunte quoad efficaciam tantum, ut sunt, ex il-
lius sententia, actus diuinæ voluntatis, vel etiam an-
gelicæ, vel certe, cum dicit actionem esse in agente,
non loquitur de propria inhaerentia, sed late, prout
quæcunque forma extrinseca dici potest esse in eo,
quod denominat. Quæ expositiones, vel aliqua earum
pro vniuersi cuiusque loci commoditate acceptan-
da est & accommodanda: non enim oportet
in his amplius immorari, cum de Diui
Thomæ sententia ex aliis lo-
cis satis con-
stat.

XVII.
Actio an sit
agentis perfe-
ctio.

D. Thom.
an actio sit
agentis perfe-
ctio in agente
locatur.